



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Cap. Cùm venerabilis 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](#)

*De reb. cred.* Eiusque natura est, ut delatum licet recusari possit, vel etiam alteri referri, ut ipse potius iuret, *text. hic in pr. & in d. §. sed juramento*, ideoque nullam necessitatem initicit illi, cui delatum est. Sitamen ipse referat, alterum adstringit ad iurandum, alioqui pro convicto habetur, *d. §. sed juramento*. Neque enim huic displice re debet conditio iurandi, quam ipse antea alteri derulit, *l. ius iurandum & ad pecunias 34. §. n. Prator D. hoc sit.*

Cui certè adversari videtur textus in *l. Manifesta* 38, *D. eod. Manifesta* (inquit) turpitudinis & confessionis est, nolle nec iurare, nec ius iurandum referre. Similis textus est in *l. Delata* 9, *C. De reb. cred.* Sed huic recte Resp. Panorm *hic, ex sententia Hostiensis*, quod scilicet dicta iura contraria obtineant, ubi non tantum iudice approbante, sed etiam iubente iuramentum delatum est parti. At ubi non mandante iudice delatum est, sed solummodo eo permittente & approbante, iuramentum licet recusat, nec referre necesse est. Neque enim pars iurandi necessitatem adversario imponere potest, sed tantummodo ipse iudex, propter iurisdictionem suam. Eo tamen observato, ut si pars, cui in iudicio iuramentum desertur à parte, vel a iudice, instam causam habeat recusandi, coginon possit ad iuramentorum praestandum, *d. l. pen. §. fin. autem vers. ipso autem C. De reb. cred. & d. §. n. Prator*. Quid enim si iudex litiganti imponat, ut de facto alterius iuret, veluti heredi de facto defuncti? Justa recusandi iuramenti causa est, utpote cum facti alieni probabilis ignorantia sit, *l. Marcellus 12. §. jurare D. De act. rerum. amot. juncta l. Qui in alterius D. De R. I. & l. D. De iuris & facti ignor. Simile est, ubi testibus vel instrumentis causa legitime probata est; nam & hoc casu iusta recusandi iuramenti causa erit, c.*

*z, sup. Ds probat. Vid. latius Bart. in d. l. Manifesta & Menoch. de Arbitr. jud. quasi lib. 2, casu 189, cum casu seqq.*

Illud quæ sitrum est, An reus recte adigi possit, ad iuramentum praestandum, si nihil omnino probaverit actor? Hanc questionem fusissime tractat Jafon in *Repet. l. Admon. n. 71*, cum duobus seqq. *D. De jurejur.* in utramque partem multa argumenta congerens, ut lectorem dubium relinquit. Verior tamen est sententia Panormit hinc 6. quod scilicet reus tunc onerari non possit iuramento. Item expressa iuris sententia est, hoc c. tradita, quod auctore non probante, reus absolvitur debeat, quam & tradit text. in *l. 4. C. De edendo.* Sed tum demum ad hoc iuramentum pervenit, ubi presumptio aliqua est pro auctore, & sic in dubio utriusque partis, ut ante dictum est. Excepit calum, quando quis propriam scripturam negat, in *Nov. 73. De instrument. castela* §. sitamen quicquam 4, qui specialis casus est a lege introductus, quemadmodum in *l. fin. C. De fideicom.* ubi haec fideicommissio gravatus praestare cogitur iuramentum, etiam si fideicommissarius nihil probaverit. Tertius casus est in *c. unico Si de invict. in dom.* & *vasal 1. Eund. tit. 2. 6.* quorum rationes hic non reperio.

Ceterum cum hodie in foro receptum sit, quod in libello coventionali positiones sicut ab auctore, continent articulatum facti narrationem, ad quas auctor perit, sibi responderi à reo signillatum sub iuramento, ut est *text. in c. 2. De confessis* in 6. & in *c. Sep. §. & quia positiones De verb. signif. in Clem.* non est, quod his longius immoremur: sed solet responderi à reo, si de alieno facto interrogetur. Positio est facti alieni vel positio est iuris, proinde dico me respondere non cogi.

## IN TIT. XXV. DE EXCEPTIONIBUS.

In Cap. Cum venerabilis 6.

### S U M M A R I A.

1. *Facti species.*
2. *Exceptio rei non inducit confessionem de intentione adversarii.*
3. *Sic nec replicatio ex parte auctoris inducit confessionem.*
4. *Quid si quis non simpliciter excipiat, sed prater fataeiar debuum?*

5. *Quid si fataeatur se hominem occidisse, sed defendendi sui causa?*
6. *Crimine falsi tenetur usus falso instrumento.*
7. *Sententia ex falso instrumento lata an retrahatur possit.*
8. *Delictum persona non redundat in damnum Ecclesie.*
9. *Ob feloniam Prelati feudum non auferatur Ecclesia.*
10. *Pralatorum negligentia obest prescritioni Ecclesie.*

11. *l. 8.*

11. Legatum velictum Ecclesia vel Monasterio sub conditione, an auferri vel revocari possit ob conditio-  
nem non servatam.  
12. Ecclesia in Episcopi diocesi sita subicit eidem Episcopo.  
13. S. Pont. potest eximere Ecclesias à jurisdictione Epis-  
copi.

**E**legans facti species hoc Cap. proponitur. Episcopus Sabinensis coram duobus Auditorebus à S. Pont. datis petebat à Monasterio Farfensi Ecclesiam S. Viti, unā cum possessionibus & pertinentiis, id est prædiis & iuribus ad Ecclesiam spectantibus. E contrâ verò Procurator dicti Monasterii nondum probatâ intentione Episcopi, præproperè, id est inconsulto respondit, quod est Ecclesia S. Viti olim subiecta fuerit Episcopo Sabinensi, eam tamen nunc frustâ pe-  
tit, cùm ex causa permutationis ad Monasterium perveniret, quod exhibito instrumento Theodosii Episcopi, cum assensi Capituli sui, probare idem Procurator conabatur. Quo auditio, statim subintulit Episcopus, ergò tempore permutacionis Ecclesia S. Viti ad ipsum Episcopum Sabinensem pertinebat, quia contractus permutacionis initio non poteſt nisi cùm vero domino, vel cum eo, qui haberet loco domini. Quare ex hac responsione, tamquam confessione procuratoris, putabat Episcopus intentionem suam fundatam esse. Adducebat præterea testes idem Episcopus, ad probandum, eamdem Ecclesiam, unā cùm bonis suis, ab Episcopis Sabinibus diu possessam, ac pro arbitrio eorum dispositam fuisse. His ita in judicium deducatis, & eorum relatione facta à S. Pontifici, responderet hic, intentionem Episcopi minime fundatam esse, neque ex testium depositione, qui etiā depoluerint, Episcopum bona eiusdem Ecclesie possedit, non tam-  
en cum legitime præscriptissime: neque ex responsione dicti Procuratoris, cùm is, qui exceptionem facta ponit, non intelligatur faceti intentionem actoris: sed neque per instrumentum à Procuratore Monasterii productum rem probatam esse, cùm in eo Episcopus Theodosius, à quo permutatio facta ponitur, non legatur fuisse Sabi-  
nensis Episcopus, licet in exemplari, (quod vulgo transumptum sive copia dicitur) quo usus est Procurator, falso inserit cùm fuerit verbum, Sabi-  
nensis. Quod tamen crimen falsi à procurato-  
re admissum Monasterio non nocet, cùm deli-  
ctum personæ in damnum Ecclesie redundare non debeat, & exceptio falsitatis non tantum quan-

te, sed & post sententiam latam, usque ad viginti annos obici possit, ad rescindendam sententiam. Unde tandem S. Pont. absolvit Monasterium quoad bona ejusdem Ecclesie, quo verò ad Episcopalia jura, condemnat Monasterium, eadem adjudicando Episcopo, eo quod Ecclesia S. Viti in diocesi Sabinensi sita sit.

Hactenus facti species: in qua quatuor nota-  
da & explicanda occurruat. Primum est, quod exceptionem obici non intelligatur confiteri intentionem adversarii. Alterum est, quod qui instrumento aliiquid adiicit, committat crimen falsi, adeoque sententia ex falso instrumento la-  
ta retractari possit usque ad 20. annos. Tertium,  
quod delictum personæ non debeat redundare in  
damnum Ecclesie. Quartum & ultimum, quod Ecclesia in Episcopi diocesi sita subicit eidem E-  
piscopo.

Quod igitur ad primum attinet, eadem senten-  
zia extat in Exceptionem De R. l. in 6. & apud Mar-  
cellum I.C. in l. Non utique 9, D. h. t. Non utique,  
inquit, existiatur confiteri de intentione adver-  
sarii, cùm quo agitur, qui exceptione utitur. Et  
ratio est, quia exceptio non alia mente obiciatur,  
quām ut clidat intentionem actoris: non igitur a-  
perati debet contrarium effectum, ut videlicet  
fundet intentionem actoris; quippe, ut dici solet,  
actus agentium non operantur ultra eorum in-  
tentionem, per textum in l. Non omnis 19, D. Dereb-  
cre. Unde licet Procurator Monasterii fassus sit,  
Ecclesiam S. Viti jure permutacionis ad Mona-  
sterium pervenisse, non ideo fassus censetur, eam  
fuisse Episcopi Sabinensis. Idem juris est, et si al-  
legasset titulum donationis per aliam quemcum-  
que, per hunc textum & in d. l. Non utique. Hic quoq;  
is, qui solutionem debiti per pactum de non pe-  
tendo obiciat, non idcirco confiterit debitum  
præcessisse, ob eamdem rationem. Quod referri  
potest & is, qui judicis vel alterius gratia sive mis-  
ericordiae se subicit, ut nos ideo peccasse se fa-  
teatur, sed porius, ut eviter longiorum disputa-  
tionem, textus est in c. Sanè 7, & in c. Venienti 13, & ibi  
notas. Ant. de Burio num. 3, sup. De renuntiat. Idem  
est de peccate veniam delicti, sicut annotat Pa-  
norm. in c. Exhibita n. 6, per d. text. inf. De homic. qui  
tamen hoc casu ad cautelam suadet, petitionem  
conditionaliter interponendam esse. hoc vel simili modo, Non posso hoc me commississe, sed si in aliquo fasi,  
peto mihi ignoscere. Verum non puto hanc cautionem  
necessariam esse, per h. text. not. & in d. c. Exceptio-  
nem & in d. l. Non utique, qui simpliciter afferunt,

etiam sine tali conditione exceptionem non inducere confessionem rei converti: quæ sententia communis calculo probata est, teste Decio hic num. 78. eamque probat & Did. Covarr. Variar. Refol lib. 1. c. 2. num. 1. Ubi & hanc rationem adferit, quod excipiens, licet absque ulla conditione excipiatur, eo tamen animo sit, ut tum deum velit exceptione uti, cum auctor probaverit intentionem suam, liquidem prius opus non est exceptione, text. in l. Si quidem C. hoc sit. neque enim in dubio credendum est, excipientem eam sibi viam elegisse, ut se ipsum impugneret, & iuveret intentionem adversarii, arg. text. sing. in l. 3. D. De milit. testam. Quin Gloss. & Bart. in l. Circa 14. D. Deprobationib. recte tradunt, reum excipientem, si sponte sua, ante auctoris probationem, onus probandi exceptionem suam in se suscepit, (quod ipsilicer, per d. l. Circa) & in probatione defecit, non ideo tamen condemnandum esse, sed nihilominus incumbere auctori, ut intentionem suam proberet; cum illa sententia generalis semper maneat: Auctore non probante, reus, etiam si nibil praesertitur, absolvit debet, c. ult. sup. De jurejur. & l. Qui acusare C. De edendo.

Atque haec, quæ dictasunt, non minus obtinent in auctore replicante, per Gloss. ad d.c. Excipientem, quam notabilem vocat Panorm. hic en. 27. quia replicatio auctoris etiam exceptione vocatur, l. 2. §. 1. D. hoc sit. atque adeò utriusque eadem natura est. l. Non exceptionis us. 10. C. h. tit. Unde sicut exceptione ex parte rei conventi non inducit confessionem, ita nec replicatio ex parte auctoris: veluti si uxori repetenti dotem maritus, ad excludendam eam, obiciat adulterium, & uxor replicet de lenocinio mariti, quod scilicet is auctori fuerit adulterii committendi, quia per hanc replicacionem uxor non factetur se adulteram, l. Cum mulier ibidem vide Roman. D. Soluto matrim.

Non obstat axioma illud Philosophicum, Privatio presupponit habitum, ut & probat textus in l. Si decem 21, D. De solut. Quasi is, qui excipit contra auctorem se solvisse, vel pactum fecisse de non solvendo, vel, ut in presenti casu, dominium rei ab auctore in se translatum fuisse per permutationem, videatur tacite faceri se ante debuisse, vel dominium penes auctorem ante fuisse: nam illud locum non habet, ubi ex intentione loquentis, accidente iuris interpretatione, aliud colligitur, ut sit in exceptione rei conventi & replicatione auctoris, ob rationes supra allatas.

Quæ certè expediti iuris sunt in simpliciter exceptione, nullâ admixta alia confessione expressa. † Caterum si quis non simpliciter exceptetur, sed præterea etiam fateatur debitum sive aliud factum, utsi, Confiteor debitum, sed dicome solvisse, vel aliam exceptionem obicio, hic qualis est. An per hanc exceptionem fundetur auctoris intentio, ita ut soli reo incumbat onus probandi exceptionem suam. Similis questione est de de homicidio, veluti si quis confiteatur se hominem occidisse, sed defendendi sui causâ.

Itaque quoad ad prius attinet, in causa civili iustè addubitari non potest, quia hic excipiens expressè fateatur, & fundere intentionem auctoris, & subsequentes in se recipiat onus probandi exceptionem suam. Ideoque dividenda erit à iudice hæc exceptione, ut, quarenus confessionem continet, acceptetur à iudice; quarenus vero contra excipitur, non admittatur, nisi comprobatum fuerit, per text. in l. Si quidem 9, in viribus, si verò de hoc confitendo C. b. tit. Unde in his cessat conclusio nostra, quæ dictum est, excipientem non considerare intentionem auctoris; quia ea accipienda est de tacita confessione, quæ oriri forte videbatur ex obiectione exceptionis, quæ tamen nulla oritur. Ita præsentis autem questione expressa est confessio, quæ omnem ambiguitatem tollit. Quare prudenter fecerit excipiens hoc casu, si exceptionem suam conditionaliter proponat, dicendo, Nego me tibi debere, vel Si debui solvi, vel Pactum feci de non perendo, vel similem exceptionem adferat, ut hoc modo auctori prius proberet intentionem suam, sicut docet textus in d. l. Si quidem.

His tamen obstat videtur textus vester, circa prīne. vers. Idem nondum &c. in verbis, respondit, quod est dicta Ecclesia dudum fuerit Ecclesia Sabinensi subjecta; quibus verbis videtur Procurator Monasterii facti, Ecclesiam S. Viti ad Episcopum Sabinensem pertinuisse, cum tamen, non obstante hac confessione sua, absolvatur Procurator, siue eius Monasterium: quia hic textus ex hypothesi exaudiendus est, præsupposita scilicet vera allegatione Episcopi, qui assertabat Ecclesiam ad se pertinere. Ut sensus sit, quod est dicta Ecclesia, ut tu, Episcope, assertis, dudum fuerit Ecclesia Sabinensi subiecta &c. quemadmodum hic tradit Panorm. num. 26. circa fin.

Quo verò ad posteriorem questionem de homicidio, et si sit, qui distinguant, quod aut excipiens

piens fatetur, è diversa quodammodo ratione, se occidisse hominem, ut quia dicit, Verum est quod occiderim, sed ad meam defensionem; at hoc casu possit Judex acceptare homicidii confessionem, relictâ interim exceptione defensionis, donec ea comprobetur. Sin verò uno contextu orationis utpùta, Occidi ad meam defensionem, quod tunc tota hac exceptio non dividatur, sed habeatur pro negativa. Verum non video, quâ ratione hoc posterius distinctionis membrum à priori differat, cùm utrumque apertam homicidii confessionem contineat: ideoque verius videatur, utroque casu exceptionem scindi debere, ut priori membro dictum est. Bart. in l. Aurelius 2.9. § idem quis sit, juncta ibid. Apostilla D. De liberat. legata. Vide quâ latius de hac quæstione disputant Decius hic num 82. cum aliquo seqq. & Jalon. in d. I Vt. vim num 13. D. De just. & iure Ubi ex Panorm. nostro hanc sententiam ita limitat, ut tamen pœna ordinaria homicidii hoc in casu non habeat locum, cùm hæ confessio præsumptionem homicidii tantummodo inducat; nunquam verò ex præsumptionibus debeat quis ordioriā pœna condemnari. Et hanc limitationem in præcepto sequitur sicut est statutum ibidem Jason, licet de ea dubitet, an vera sit: & meritò dubitat, cùm hoc casu non tam prælumprio sit, quâ propria confessio ipsius rei. Et rectè, si prælumprio tantum oriretur ex eisdem confessione, non solum ab ordinaria, sed etiam ab extraordinaria pœna, quâ arbitrio Judicis infligitur, reus omnino absolvendus esset, sicut eleganter contra alios Dd demonstrat Franc. Sarmientus, Selectar. Interpret. hb. 1.c.1.

6. Sequitur altera quæstio de falso instrumento, quo usus fuit Procurator Monasterii. Et certum est, eum in falso crimen incidisse, textus hic & in §. item lex Cornelia de falsis inst. Depubl. jud. l. Paulus 16. §.1. & l. Quid sit falso 23. D. Ad L. Corn de falso, cuius pœna est deportatio, d. §. item Cornelio & l. §. fin. D. d. tit. Ad L. Corn de falso.

7. Sed quod dicitur, sententiam ex falso instrumento latam retractari posse usque ad viginti annos, magnam difficultatem parit: quia aut loquimur de exceptione falsitatis contra executionem sententia opposita, & verum est eam in perpetuum competere, propter generalem regulam, quâ exceptiones perpetuò competere dicuntur, non verò actiones, l. Parè, §. fin. D. De dolimali & metu except, aut de ipsa accusatione falso, quam indubitatum est durare usque ad 20. annos, ut & re-

liquas accusations criminum, l. Querela 12. & ibi Gl. & DD. Cod. Ad L. Corn de falso. & que accusatio instituitur vel criminaliter, ad pœnam scilicet falsi publicam, aut civiliter, ratione ejus, quod accusatoris interest, l. Damus 2.3. C. d. tit. uti fit regulariter & in cæteris criminibus, l. unica C. Quans ad civilius actio crim prajud. Sed & in integrum retinatio peri potest adversus sententiam ex falso instrumento latam, ut ita de novo eadem causa tractetur, l. 1. C. Stez falsis inst. judic. sit. & l. Divus 33. D. De re iudic. Unde quod hic dicitur de retractanda sententia latam ex falso instrumento, intelligendum est, si accusatio civiliter intentetur contra falsam sententiam, quæ eodem tempore durat, ac si accusatio criminaliter intentata suis sit, d. l. Querela junctâ l. Damus, & facit texsus in l. Intendit § 6. § qui surem D. Desfuit. Unde is, qui vietus est ex instrumento falso, rectè agit, ut rescindatur sententia, quia ejus interest.

Quoad tertiam quæstionem, quod scilicet persona delictum non redundet in damnum Ecclesiæ, idem probat juris Canonici regula, inc. Delictum persona De R. l. in 6. Nam cùm Ecclesiæ bona non sint Prælati, neque cujusquam alterius, sed Dei, in cuius cultum & ministerium dedicata sunt, can. Nulli xii 1 quæst. 2 & c. 2. inf. De donat rectè sequitur, eorum factum non nocere Ecclesiæ: non enim debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. Non debet alteri 74. D. De R. I. Quod idem hic in Monasterio servatur, Ut hinc quando Episcopus ob delictum suum loco moveretur, non ideo Ecclesia rebus suis exuatur, can. Si Episcopum xvi. quæst. 6. + vel si Prælatus vasallus feloniam commiserit, non idcirco Ecclesiæ feudum auferetur, sed Episcopo mortuo ad successorem suum revertitur, c. un. §. fin. De capit. Centadi in Vtib. feudor. ¶ Obtinuit tamen in Prælatis sive aliis Ecclesiæ 10 administratoribus, ut eorum negligentia oblitus præscriptioni Ecclesiæ, ut testatur tit. proximus Depræscript. quia id siogulariter, publicæ utilitatis causâ, receptum est, ne rerum dominia in incerto sint, l. 1. D. Deus ucap. & ut aliquis litium sit finis l. fin. D. Pro suo.

Unde facilis responsio est ad quæstionem, Ad legatum reliatum Ecclesiæ, vel Monasterio, hac conditione, ut singulis annis anniversarium celebretur, quod scilicet si Prælatus negligens sit in celebrando anniversario, non idcirco ramen Ecclesiæ vel Monasterio legatum auferatur, ex hac regula quod delictum personæ non debeat redundare in damnum Ecclesiæ.

Sed utrum idem observandum sit, ubi non solum Praelatus, sed & Capitulum anniversarium intermiscerit, major addubitatio est. Et puto hoc casu legatum revocari, cum non solum Praelatus, sed & Capitulum anniversarium intermiscerit, aliqui frustra hæc conditio adjecta esset, per text. sing. inc. Verum 4. inf. De conditionib. appos. Ceterum si ea conditio legato adjecta non sit, non nocebit Ecclesiæ, vel Monasterio, Praevali vel Capituli negligientia, sed tantummodo ab bæredibus testatoris ad inplectionem anniversarii agitur, d.c. Verum, juncta l. Mervia 44. D. De massu missi testim. & l. Liberto 21. § Lu. ius D. De annuis & mens. legatis. Idem censendum est de aliis legatis & donati- nibus, quæ Collegis Theologorum, Juriscon- sultorum & Philosophorum conferuntur, pro- lendis vel informandis pauperibus, juxta prece- dentem distinctionem.

Nec obstat text. in l. 1. C. De donat sub modo, in l. 3. C. De condit. ob causam & in l. Quidam prædicta 17. D. De usu & usuf. leg. quibus juribus probatur in con- tractibus & in ultimis volvotatibus, ubi modus adjectus non servatur, repetitioni locum esse; quia id obtinet, ubi modus adjectus causa finalis est: & si in alium finem principaliter resperxerit donator sive testator, non repetitur res donata vel legata ob modum non servatum, l. Ea conditione 14. C. De rescind. vendit. & d.c. Verum. Sicut accidit in legato vel re donata Ecclesiæ, Monasterio vel Collegiis studiosorum, cum in his præcipua cau- sa pietatis erga Deum vel rem publicam, & idcirco non revocatur ob modum non servatum, sed ad obseruationem modi agitur, nisi expressè addita sit supradicta clausula. Et si non fiat, redat legatum vel donatio ad bæredem meum, vel alium, qui ab eo nominatus est; nam & tunc repetitioni locus est, propter apertam mentem ipsius testatoris vel donatoris, d.c. Verum & ibilatius Panorm. & l. Non aliter 67. D. Deleg. 3.

Quod ad ultimum attinet, videlicet Ecclesiam in diœcesi sum subesse eidem Episcopo, in cuius diœcesi sita est, id non solum probat textus no- ste, sed & can. Omnes basiliæ xvi quæst. 7. can. 3. cum 3. seqq. x. quæst. 1. Verum id accipiendum est quoad spiritualia, non quoad temporalia: nam res tem- porales sive proventus Ecclesiarum subjectarum non potest sibi vindicare Episcopus, neque de iis pro arbitrio suo disponere, e. Cum venerabilu. 7. & ibi Panorm. inf. De religiosis domib. Spiritualia vero juraliter exerceat Episcopus in omnes Ecclesiæ suæ diœceseos; ut sunt institutio Presbyteriæ.

Clerici in Ecclesia, item destitutio, id est, ejus- dem privatio, reformatio, correctio etiam per centuram Ecclesiasticam: item jurisdictio cau- rum ad Ecclesiasticum forum pertinentium, pe- nitentia impositio, Ordinum Ecclesiasticorum collatio, Synodi convocatio, synodatici sive ca- thedratici diuorum solidorum receptio, quarta decimara & mortuitorum, visitatio & pro- ratio. Item quod possit exigere Episcopus ab Ec- clesiis sibi subiectis moderatum subsidium ex mani- festa & rationabili causa, puta si Episcopatus æ- realienco oppresus sit, aut sit tenuioris fortunæ; quod tamen non nisi ex charitate postulatur & praefatur.

Hæc omnia jura spiritualia, quæ Episcopo competunt in Ecclesiis sibi subiectas, recensem- tur in e. Conquerente 16 sup. De off. jud. ordin. Eaque obtinent, nisi contraria ab alio præscripta sint, e. Di- quartæ. Auditus 15. &c. Cum olim 18. inf. Deprescrip- tionib. vel nisi privilegio S. Pontificis exempta sit Ecclesia, e. Recopimus 8. inf. Deprivil. &c. Si Papa inf. eod. tit. in 6. + Cum enim omnes Ecclesiæ, item Monasteria substat Romano Pont. can. 1. & 2. Dis. 22. &c. 2. De probendis in e. potest jure suo S. Pont. eximere aliquam Ecclesiæ vel Monasterium à jurisdictione Episcopi, & sibi soli ejus curam re- servare, d. cap. Si Papa. Unde si de exemptione tali controversy incedat, diligenter inspiciendus erit tenor privilegii, quo exemptio contractur. Nam non promiscue, sed certa verborum formâ eam exemptionem concedit S. Pont. veluti si dixerit, Ecclesiæ esse exemptam, aut eam esse juris B. Petri, sive iudicis & proprietatem Romanæ Ec- clesiæ, vel ad Romanam Ecclesiam specialiter, aut sine medio, vel etiam simpliciter pertinere: item à privilegium continet, quod sit libera, si- ve potiatur Rom. Ecclesiæ libertate, vel quod Ecclesiæ Rom. annum census solvat ad perce- pta Judicium libertatis. His enim & similibus verborum formulâs exemptio Ecclesiæ compre- batur: non vero si dicat, quod Ecclesiæ Rom. solvat annum census ad Judicium perceptu protectionis, vel quod ejus Clerici recepti sint in proprios & speciales filios vel sub protectione Apostolice Sedis, sicut hæc latius explicantur d.c. Si Papa juncto d.c. Recopimus, & in e. Ex parte 8. inf. De privil.

IN TIT.